DE

USU PRONOMINIS RELATIVI LATINI EPEXEGETICO.

DISSERTATIO INAUGURALIS.

SCRIPSIT

CAROLUS ALBERTUS SAEGERT.

GRYPHIAE.
TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.
MDCCCLX.

DE
USU PRONOMINIS RELATIVI LATINI EPEXEGETICO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI

PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE GRYPHISWALDENSI

UT SUMMI

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

CALEND. MAI. ANNI MDCCCLX H. XI

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS ALBERTUS SAEGERT,

GRYPHISWALDENSIS.

PARTES ADVERSARIORUM SUSCIPIENT:

W. PETERS, CAND. PHIL.

E. APPEL, DR. MED.

M. BERCHEM, CAND. PHIL.

GRYPHIAE.

TYPIS FRIED. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

De usu pronominis relativi Latini epexegetico.

Etiam leviter in legendis Latinorum scriptorum libris versatum effugere non potuerit, vocem quod persaepe initio periodorum vel enuntiatorum ita poni, ut vel vim habere particularum quarundam, vel salva sententia prorsus abesse posse videatur: qui autem ad hanc rem diligentius acriusque animum attenderit dederitque operam, ut naturam ejus usumque cognoscat et illustret, nisi unam, qua sola res prospere possit procedere, viam ingressus sit, vereor, ne multitudine locorum et varietate adeo obruatur et confundatur, ut aut rem omnino non audeat dijudicare aut regulas ponat, quibus permulti loci non respondeant. Sed proficiscenti etiam a vero fonte injiciuntur in via persequenda complures scrupuli, quos ut tollat fieri non potest, nisi ex optimis scriptoribus antiquis exempla ad rem sufficientia attulerit et accurate considerata ad suam quodque rationem redegerit. Plurimi enim

interpretes et grammatici mirum quantum de hoc dicendi genere inter se discrepant. Nam alii contendunt, voculam quod ejusmodi in locis conjunctionem quandam esse[1]), alii eandem vel adhibita ellipsi praepositionis ob sive propter interpretantur quare, quam ob rem[2]), vel significare volunt cujus rei ratione habita[3]), alii inauditas nescio quas particulas quasi subaudiunt[4]), alii discernenda conjungunt, conjungenda discernunt[5]), alii denique recte quidem relationem quandam sequentis enuntiati statuunt ad antecedens: unde autem id genus fluat, vel in quo sit vis ejus ac potestas sita, non illustrant.

Quod quum ita sit, equidem locos a viris do-

---

1) Veluti Forcellini tot. lat. lex. s. v. quod ait: „quod saepe fulciendo sermonis principio inservit et continuandae orationi, vim habens τοῦ autem aut sed, verum." Cfr. Gronov. ad Liv. XXVII, 7.

2) Sic imprimis antiquiores grammatici et editores, Servius, Donatus, Munkerus, Scioppius, alii. Item Bremius ad Cic. de fin. III, 2. contendit, quod cum ellipsi praep. propter significare igitur. Davisius quod pro quo accepit, idque quo explicabat in hanc speciem, ut esset quare quamobrem. Ph. Wagner. quod modo statuit esse = διότι vel = καθ' ὅ, modo nescit, an dictum sit ratione objecti interni. (cfr. infra pg. 6. Not.) Cfr. Scheller. et Georges. lex. s. v. quod.

3) Krueger. (— Grotefend.) gr. Lat. vertit dabei, in Beziehung darauf. Goerenz. ad Cic. de fin. IV, 4: „quod notat quod attinet, ad id quod." Cfr. infra Handium.

4) Cfr. Goerenzii mirum errorem ad Cic. de fin. II, 4, 12. docentis, quod esse quo ad hoc et quidem et sane.

5) Reisig. doctr. ling. Lat. ed. Haas. § 215, 5 et § 212, c. Zumpt. § 806.

ctis jam magna ex parte congestos[6]) percensere et ad veram rationem revocare conabor. Nam monstraverunt quidem quasi praetereundo clarissimi quidam viri viam veri reperiendi, aliis autem reliquisse videntur monstratam amplius persequendam: quas quum partes ego susceperim, non metuo, ne nimis pusilla et minuta cuiquam harum rerum prudenti videatur haec quaestio, de qua ad hoc usque tempus, licet late pateat neque solum explicatione voculae quod contineatur, sed etiam ad pronomina demonstrativa respiciat idque haud minus in Graeca lingua, quam in Latina, nemodum, quod sciam, accuratius disseruit.

Sententiam igitur, quam nos amplexi sumus, primum Wopkensius pluribus locis diligentius comprobare studuit, in quibus pronomina tam demonstrativa quam relativum generis neutrius, quamvis ad verba antegressa spectent, iisque jam satis explanata sint, tamen subsequentibus quasi per pleonasmum quendam denuo enarrantur. Quo magis vero speramus, illam sententiam hac disquisitione tandem prorsus confirmatum iri, tanto magis pu-

---

6) Cfr. Schoem. ad Cic. de nat. deor. I, 15 et II, 9 et II, 37. Jahn. ad Cic. or. pg. 30. Madvig. ad Cic. de fin. II. 4, 12 et I, 6, 19 et I, 20, 67. Cort. ad Cic. epp. ad fam. XIII, 40, 2 et ad Sall. Cat. XVIII, 8. Haas. ad Reisig. doctr. ling. Lat. pg. 373. Wopkens. lectt. Tull. pg. 380 et al. Brem. ad Cic. de fin. I, 6. Beier. ad Cic. de off. I, 153 et II, 8, 29 et III, 112. Schneider. ad Caes. b. G. III, 23. Matth. gr. Gr. § 476 et § 439 Not. Bernhard. synt. Gr. pg. 298.

Hosce locos debemus Ill. Schoemanno, qui nobis etiam complures ab ipso notatos locos tradidit, quibus infra usi sumus.

tamus refutandis interpretationibus, quas maxime a philologis antiquioribus prolatas supra memoravimus, scilicet quod pro autem vel sed usurpatum esse, aut igitur significare praepositione propter vel ob omissa, ut de mira Goerenzii aberratione plane taceamus, nos supersedere posse. Attamen quia quod in locis pluribus, qui ad quaestionem nostram pertinent, sane tum „daher", tum „in Beziehung, in Rücksicht darauf", tum simile quid valere nonnemini potest videri atque sic a praeclaris philologis etiam nostrae aetatis explicatur: nobis, ut omnem dubitationem posteriorem quasi praecidamus, hanc explicationem in argumentis niti, speciosis iis quidem, sed falsis demonstrandum videtur.

Imprimis Handius (annotat. ad Wopkens. lectt. Tull. pg. 380) illam opinionem Davisii vindicare tentavit, quod in hujusmodi locis pro quo collocatum esse idque ipsum qua in re, quam ob rem, inwiefern significare. Simili ratione quod etiam cum conjunctionibus si, etsi, aliis copulari ait. Quod quum sic approbare studeat, ut quod ad id spectare neget, quod postea enarretur, unum ex iisdem exemplis, quae ipse in rem suam convertit, ad eum acrius refellendum apponamus. Dicimus Cic. de nat. deor. II., 9: „Nam omne, quod est calidum et igneum, cietur et agitur motu suo, quod autem alitur et crescit, motu quodam utitur certo et aequabili, qui quamdiu remanet in nobis, tamdiu sensus et vita remanet; refrigerato autem

et exstincto calore, occidimus ipsi et exstinguimur. Quod quidem Cleanthes his etiam argumentis docet, quanta vis insit caloris in omni corpore: negat enim, ullum esse cibum tam gravem, quin is die et nocte concoquatur".

Qui hunc locum animo attento perlegit, eum vix latere possit, verba „refrigerato — exstinguimur" nihil sibi velle, nisi permagnam esse vim caloris. Qua sententia, etiamsi his ipsis quidem verbis non exprèssa, admodum tamen dilucide cogitata, nulla nobis dubitatio restare potest, quin relativum eadem cogitatione, quae, si non adjecta esset, mente esset concipienda, hac adjuncta explanetur. Utique ergo quod non modo pertinet ad superiora, sed etiam ad id, quod postea declaratur. Summo igitur jure dici poterit, Ciceronem, quo facilius cognosceretur, quomodo verba Cleanthi tributa nihil discreparent ab iis, quae ipse modo exposuisset, summam proxime antecedentis enuntiati, quamvis jam in relativo inesset, tamen addidisse verbis hisce „quanta vis — corpore". Vertemus igitur: „Was Cleanthes auch durch folgende Gründe lehrt", seu mavis „und dies lehrt Cl. auch d. f. G., wie gross nämlich die Kraft der Wärme — sei". Quam structuram nostris auribus languidum quiddam continere, haud nego: attamen, ut libellus noster docebit, veteribus locutio ista erat usitatissima. Quemadmodum vero, qua de causa Handius in Wopkensii sententia offenderit, vix intelligi potest, sic

eundem etiam magis miramur addentem, quod idem valere ac quo i. e. qua in re, quam ob rem, inwiefern. Nam primum neque usquam alibi, saltem in Ciceronis libris, quod tale reperitur, quod idem valeat atque quo i. e. qua in re, neque ullo modo id enodari posset. Tum profecto aliquid discriminis intercedit, utrum dicam qua in re, an quam ob rem: utrumque tamen Handius contendit in isto quo inesse. Denique usu pronominum demonstrativorum plane analogo, uti infra videbimus, quod in cunctis his locis solum nominativum aut accusativum pronominis relativi esse posse, in modum certissimum probatur.

Neque tamen desunt, qui quidem vim pronominalem vocis quod non addubitare videantur, sed quod nihilominus contendant nostro „daher" aut „in Rücksicht darauf" respondere. Unde haec fluxerit opinio, equidem ignoro, nisi forte inde deducenda sit, quod illi auctores eum usum loquendi, de quo nos disputamus, ab aliis minus diligenter sejunxerunt. Quin enim tam pronomina demonstrativa quam relativum, casu quidem accusativo generis neutrius, saepe causam et rationem alicujus rei indicent, nullo pacto dubitari potest, attamen id ibi tantum locum habet, ubi illa pronomina quasi objectum internum[7]) maxime verborum intransitivo-

7) Hac appellatione, quae nobis multo magis placet, quam Bernhardii objectum absolutum, Ill. Schoemannus significat objectum agendi notionis generalis, quae in unoquoque verbo, quin etiam in verbo substantivo inest, e. g. μάχεσθαι = μάχην

rum declarant. Hunc vero usum, quem pariter plurimi grammatici et veteres et recentiores haud aliter explicari posse credebant, nisi per ellipsin praepositionis ob vel propter, donec egregii hujus aetatis viri docti rem multo rectius illustrarunt, eatenus a nostra quaestione, quatenus illa pronomina modo subjectum modo objectum externum verborum transitivorum exhibeant, sejungendum esse, vix memoratu dignum nobis videretur, si ulla alia ratione, nisi quod alterum pronominnm usum cum altero commixtum statuas, perspici posset, unde tot virorum doctissimorum opinio, in pronomine relativo, ubi simplicem modo vim relativam habet, inesse significationem causalem exstiterit.

Ubi autem, ut revera usu venit, pronomina et demonstrativa et relativum vices sustinent nunc subjecti nunc objecti externi, non magis de analogia quadam cum accusativo, qui vocatur, Graeco cogitari atque hinc significatio „in Rücksicht darauf" deduci potest, idque tanto minus, quanto

---

ποιεῖσθαι, ἀποβαίνειν = *ἀπόβασιν ποιεῖσθαι*, currere = cursum agere, unde exstiterunt illa *μάχην μάχεσθαι*, ludere ludum, gaudere gaudium, et id tum maxime, quando substantivum verbale cum adjectivo vel pronomine copulatum est, velut mirum somnium somniare, eam vitam vivere. Omissis autem facile istiusmodi substantivis, quia nihil declarant, nisi quod in verbo ipso inest, sequitur, ut dicatur v. c. dulce rideo = dulcem risum rideo, id gaudeo = id gaudium gaudeo, id venio = id venire venio, quid curris? = quem cursum curris? Inde adjectiva saepe adverbiorum instar posita esse videntur, pronomina vero ex lege quadam omnibus linguis communi significationem causalem receperunt.

promptius plerisque saltem locis intelligetur, voci quod minime novam adjungi sententiam, quae ad praemissa tantum pertineat, sed hanc ipsam praegressam cogitationem repeti.

Unde jam emergit, quam imperite egerint, qui omni discrimine sublato judicaverint, vocem quod conjunctionibus, quae subjunctivae dicuntur, praepositam semper idem esse atque quam ob rem vel qua in re.

Fac denique, potuisse his formulis interdum veteres loco pronominis uti, vel a nobis ex nostra consuetudine illud quod haud raro sic verti posse: quid hoc habebit argumenti, siquidem saepenumero ratione logica nonnihil mutata, quomodo enuntiata connectat, penes scriptorem est? Tum vertendo res nulla explicatur, sed linguam ex sua quamque indole ac natura, non ex nostro loquendi more interpretemur oportet. Wopkensii denique sententia nititur genere dicendi divulgatissimo, ex quo saltem certius et simplicius rem enodare possumus, non discedentes a communi consuetudine verborum novasque regulas atque inauditas ponentes, quae nulla certa ratione exprompta duobus tribusve locis fulciri videantur.

Immo etiam tantum abest, ut hac in re Handium aliosque sequamur, ut jam probaturi simus, non solum in ejusmodi locis, de quibus Wopkensii sententiam supra attulimus, vocem quod esse merum pronomen relativum, modo in subjecti modo in objecti casu positum, sed etiam ubi conjunctio-

nibus si, etsi, quum, quoniam, ubi, utinam, quia, ut, aliis, aut alteri relativo itidem quasi ex abundantia praepositum, tantummodo duo enuntiata connectere videatur, sola ex hac pronominis relativi vi ac potestate explicari debere.

Jam vero si quod in his locis, qui ad quaestionem nostram pertinent, nihil est, nisi verum pronomen relativum, nunc subjectum, nunc objectum exhibens, ejus usus loquendi, de quo nos disputamus, idioma, ut Graeco utar vocabulo, fere in eo solum verti liquet, quod pronomen, ex verbis antegressis satis id quidem dilucidum, tamen deinceps iterum explicetur. Ubi enim tale additamentum post quod non invenitur, velut in Cic. Tusc. II, 2, 6: „— ex quo libris omnia referserunt. Quod accidet etiam nostris, si ad haec studia plures confluxerint." vel ibid. V. 1, 1: „— virtutem ad beate vivendum se ipsa esse contentam. Quod etsi difficile est probatu propter tam varia et tam multa tormenta fortunae, tale tamen est, ut cet." nemo nominativum aut accusativum neutrius generis pronominis relativi non recognoscit, quod aut ad unam quandam notionem praecedentem, aut ad totam sententiam modo allatam referendum sit. Illud autem quod, de quo nos agimns, unum idemque esse ac neutrum pronominis relativi nullo additamento iterum explanatum, certissimum in modum, ut jam indicavimus, eo declaratur, quod etiam pronomina demonstrativa, ubi perinde ad antecedentia spectant vel revocantur, tum ita usurpantur, ut lector significationem eorum e verbis praeeuntibus colligere debeat,

tum sic, ut haecce significatio epexegesi quadam ab auctore repetatur. Tanto magis vero hunc prorsus analogum usum pronominum demonstrativorum nobis in rem nostram convertere licet, quod illa hic a pronomine relativo fere non discrepant, nisi vi illa subordinandi, quae in pronomine relativo inest. Nam quod pronomina demonstrativa ad praecedentia referri plurimum dicuntur, id utique nihil aliud declarare potest, nisi eadem pro re quadam vel materia antea aut nomine aut sententia accuratius definita poni, ergo propemodum vicem rei vel materiae praemissae implere, sive, ut Priscianus (XII, 1) recte ait, cognitionem ante latam referre, i. e. repraesentare. Quamobrem quoque idem auctor pronomina demonstrativa, ubi ad cognitionem ante latam spectant, pronomina relativa appellat.

Quam propriam ejus quoque pronominis, quod hodie relativum vocamus, esse naturam, praeter Priscianum etiam Humboldtius et Schoemannus cognoverunt; immo jam Graeci grammatici hunc usum pronominis relativi ab eo videntur distinxisse, ubi illud ad superiora non spectat. Alterum videntur, sicut pronomina quoque demonstrativa, quatenus usurpantur, quemadmodum Priscianus explanavit, *ἀντωνυμίαν ἀναφορικήν*, alterum vero *ἄρθρον* (i.e. omnino vinculum, quo duo membra junguntur) vocasse. Atque hanc ipsam ob causam, quod pronomen relativum, ubi initio periodi cognitionem ante latam repraesentat, praecipue vice notionis vel sententiae praemissae

fungitur, etiam nostri grammatici (cfr. Reisig. l. c.) hunc usum pronominis qui ita designare consueverunt, ut id idem valere dicant, quod und dieser. Proinde etiam quod, de quo nos disserimus, fere idem nobis esse censemus atque und dieses seu, ut vim, quam hic pronomen relativum per se solum habet, circumlocutione etiam magis aperiamus, et hoc est illud, vel aliquid, quod. Quod si vero Reisigius eundem pronominis relativi usum improprium existimat, facere non possumus, quin hanc rem amplius persequamur. Nobis potius illa potestas pronominis relativi, cognitionem ante latam per se solum referendi, videtur principali ejus propriaeque naturae quam maxime respondere. Etenim si constat, quod sermone puerili etiamnunc confirmatur, sententias prius ratione, quae dicitur, coordinante quam subordinante copulatas esse, pronomina igitur demonstrativa prius esse culta, quam relativum, ut etiam eo comprobatur, quod complures linguae pronomen relativum nunquam assecutae sunt; si porro negari nequit, ipsum pronomen relativum primitus ut demonstrativum quoddam usurpatum esse quum in Graeca lingua, tum in aliis, quarum plurium intellectum nostris demum temporibus viri quidam litterarum studiosiores patefacere coeperunt; si nos denique etiam ibi, ubi pronomen relativum intra cancellos unius ejusdemque periodi nomini alicui notam quasi characteristicam addit, id, quod pronomen relativum proprie per se velit, multo clarius cognoscimus, quum ambo

enuntiata coordinamus vel illam circumlocutionem adhibemus, qua supra diximus pronomen relativum, ubicunque ad praecedentia spectet, clarissime principalem suam propriamque naturam prodere [8]): non sine probabilitate nobis videmur concludere posse, eum usum pronominis relativi, ubi id rem quandam vel materiam per se ipsum repraesentet, ergo veterum grammaticorum ἀντωνυμία ἀναφορική sit, principali ejus propriaeque significationi magis respondere quam illum, ubi pronomen relativum ad praecedentia non referendum sit. Quod genus posterius tum demum usu stabilitum esse potest, quum intelligentia humana longius progredetur ac linguam ad subtilissimas mentis distinctiones aptare contenderet, et res diversas uno eodemque vocabulo paresque diverse significatas accuratius modo disjungere, modo comprehendere coepisset. — Subordinandi vero vis, qua pronomen relativum Latinum ubique a demonstrativis differre vulgo autumatur, in eo constat, quod enuntiatum aliquod integritate sua privatur et ut pars quaedam alterius apparet: unde arctior conjunctio duarum sententiarum necessario efficitur.

---

8) V. c. Mortuus est vir, quem perstrinxisti (abs te perstrictus) i.e. et hic est ille, quem perstrinxisti. Genere autem adjunctivo nobis dicendum foret: Mortuus est vir. Virum perstrinxisti, vel Eum (hunc, eundem) perstrinxisti. Unde nostra elucet opinio, etiam hunc usum pronominis neque a relativo anaphorico separandum esse, nec eum, de quo nos agimus, usum prorsus non admittere.

Discernimus igitur omnino relativum anaphoricum vel, ut ita dicam, iterativum ab eo, quod praecipue correlativum vocare possumus. Alteri inhaeret cognitio aliqua, alterum circumlocutioni cognitionis inservit.

Quod denique pronomen relativum, ut ἀντωνυμία ἀναφορική, persaepe sine demonstrativo, quod vocatur, correlativo positum invenimus, ultro patet, ubi pronomen relativum in initio sententiarum, quae fere vim ac dignitatem enuntiationis primariae habeant, collocatum sit, ibi, quandoquidem potestas subjunctiva pronominis relativi adjecto correlativo augeatur, hoc augmentum plerumque supervacaneum fore. Quin immo, siquidem cognitionis ante latae repraesentatio proprie nihil est aliud, nisi materiae antea nomine aut enuntiatione indicatae demonstratio per manum vel mentem, pronomen relativum, ut ἀντωνυμίαν ἀναφορικήν, per se ipsum demonstrationi inservire nobis affirmare licet.

Nunc terminatis finibus, intra quos nostra quaestiuncula versetur, ad illum usum, cujus explicationem nobis proposuimus, pronominis relativi transeamus.

Quandoquidem igitur haec pronomina, quae aliquam notionem repraesentant, id semper sic demum possunt, ut eam non proprie nominent, sed denotent monstrentque, fieri potest, ut post pronomina id nomen, ad quod referri debent, repetatur, idque ut vel orationis perspicuitati consulatur vel ut in iterato nomine vis quaedam et pondus ponatur: id quod permulti loci et Graecorum et Latinorum scriptorum docent[9]). Hic igitur pronomen cum sub-

9) V. c. Caes. bell. Gall. III, 3. consilio celeriter convocato sententias exquirere coepit. Quo in consilio nonnullae hujusmodi sententiae dicebantur, ut cet. Ibid. V, 49, perscribit

stantivo repetito et genere et casu eodem utatur necesse est.

At interdum usu venit, ut pronomina aut ad notionem adjectivi vel verbi spectent, aut transitus fiat ex concreto, quod vocant in abstractum[10]), saepissime autem pronomina vel relativum vel demonstrativa non voces singulas, sed totum enuntiatum complectuntur et referunt. Tum in utroque genere dicendi pronomina generis neutrius ita collocantur, ut vices sustineant aut vocis singularis, quae antea vel posita erat vel in uno aliquo verborum praecedentium latebat, aut totius praemissae sententiae vel cogitationis. Quod quum ita sit, huic quoque pronomini s u b s t a n t i v e usurpato vel singulas voces vel totam enuntiationem explicationis causa addi licet. Quod ubi fit, substantivum iteratum, quamquam a pronomine divulsum, tamen eodem casu cum pronominibus uti necesse est. Nobis vero ex nostrae linguae ratione semper quum ante singulas voces, tum ante totam sententiam n e m p e subaudiendum est. Appellamus autem istiusmodi explicationem,

---

in litteris —. Q u i b u s litteris cet. Pronomen demonstrativum habes Caes. b. c. III, 33. litterae ei redduntur —. H i s l i t t e r i s cet. Cic. de fin. II, 14. virtuti (relinquitur) cum voluptate certatio. Q u a m quidem c e r t a t i o n e m cet. Suet. Tit. 5. unde nata suspicio est —. Q u a m s u s p i c i o n e m auxit cet.

10) V. c. Caes. B. G. I, 44. a m i c i t i a m P. R. sibi ornamento et praesidio, non detrimento esse oportere, i d q u e se ea spe petisse.

Cfr. Cort. ad Sall. Cat. 51. Burmann. ad Anthol. I. p. 549. Matth. gr. Gr. § 439, Not.

quoniam, qua pronomina verbis antecedentibus jam declarantur ratione, eadem iterum explanantur, epexegesin. Quam plerumque ex arbitrio ejus, qui scribit vel loquitur, pendere et obscurioribus locis magis necessariam, apertioribus superfluam esse, per se ipsum patet.

Quibus generaliter expositis nunc singillatim pronominis relativi usum epexegeticum persequamur, semper quidem respicientes pronomina demonstrativa.

I.

Pronomina generis neutrius, tam relativum quam demonstrativa, in subjecti vel objecti casu posita et ad singularem aliquam vocem ex superioribus referenda, eandem vel similem iterum asciscunt.

Initium sumpsimus ab illo usu, ubi neutri pronominis relativi vel demonstrativorum aliqua vox singularis, in superioribus jam lata vel recondita, epexegetice additur. Hic jam diximus, pronomina aut ad notionem adjectivi vel verbi, aut ad substantivum omnis generis referenda eandem similemve notionem ita asciscere, ut etiam loco repetendi adjectivi vel verbi plerumque in epexegesi substantivum notione cognatum inveniatur[11]. Quia autem

11) Eur. Suppl. 512. — καὶ τοῦτό μοι τ' ἀνδρεῖον, ἡ προμηθία. Plat. de rep. *II* pg. 362 E. — ὡς χρὴ δίκαιον εἶναι, οὐκ αὐτὸ, δικαιοσύνην, ἐπαινοῦντες.

Cfr. Matth. gr. Gr. § 439.

loci istiusmodi saltem in lingua Latina rari sunt, et ubicunque reperiuntur, facile enodantur, nos conferamus ad proximum hujus locutionis gradum.

II.

Pronomina generis neutrius totam sententiam praemissam repraesentant, quae dein per epexegesin iterum declaratur.

Causam hujus quoque epexegeseos nullam aliam esse, nisi majorem orationis perspicuitatem vel majus pondus quoddam, ultro apparet, sed tamen exempla sunt satis varia. Quae ne permisceamus, primum consideremus locos, in quibus pronomina totam, ut jam monuimus, antecedentem sententiam vel cogitationem complectuntur referuntque, epexegesis vero ex singulis vocibus passim cum adjuncto quodam copulatis constat, deinde ubi superiorem enuntiationem in epexegesi excipit altera sententia integra.

Pari ratione nos verba Thucyd. II, 40, 3: — *διαφερόντως γὰρ δὴ καὶ τόδε ἔχομεν ὥστε τολμᾶν τε οἱ αὐτοὶ μάλιστα καὶ περὶ ὧν ἐπιχειρήσομεν ἐκλογίζεσθαι. ὃ τοῖς ἄλλοις ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει.* enuncleanda arbitramur, quippe pronomen *ὃ* utique ad verbum *ἐκλογίζεσθαι* referendum est et deinceps nomine *λογισμός* iterum explicatur. Proprie enim auctor scribere debebat: *ὃ* (nempe *τὸ ἐκλογίζεσθαι*) *τοῖς ἄλλοις ὄκνον φέρει, ἀμαθίας θράσος φερούσης* et propterea solum, ut contrapositum concinnius atque acutius redderet, suo genere usus videtur.

A.

Epexegesis constat ex singulis vocibus.

1) ex substantivis, quae dicuntur abstracta, vel nudis vel cum adjuncto quodam copulatis.

Plat Phaed. 97: θαυμάζω γὰρ, εἰ — ἓν ἄρ' ἑκάτερον ἦν καὶ οὐκ ἤστην τότο δύο, ἐπεὶ δ' ἐπλησίασαν ἀλλήλοις, αὕτη ἄρα αὐτοῖς αἰτία ἐγένετο δυοῖν γενέσθαι, ἡ ξύνοδος τοῦ πλησίον ἀλλήλων τεθῆναι. Deinde: οὐδέ γε, ἐάν τις ἓν διασχίσῃ, δύναμαι ἔτι πείθεσθαι, ὡς αὕτη αὖ αἰτία γέγονεν, ἡ σχίσις, τοῦ δύο γεγονέναι. Ambobus in locis ultro patet, pronomen αὕτη (pro τοῦτο positum ob praedicati genus, qui usus notissimus) ad enuntiata superiora referendum esse, alterum ad verba ἐπεὶ — ἀλλήλοις, alterum ad sententiam ἐάν — διασχίσῃ, quo facto primum αὕτη substantivo ἡ ξύνοδος cum adjuncto suo, secundum substantivo ἡ σχίσις iterum explicatur. Similiter in Soph. Oed. Tyr. 819, quamvis, ut saepius (cfr. Matth. gr. Gr. l. c.), in numero plurali positum, pronomen demonstrativum τάδε verba praemissa, quibus Oedipus Laii occisorem exsecratus erat, comprehendit, quo facto epexegesis τάσδ' ἀράς sensum pronominis iterum declarat:

— μηδὲ προσφωνεῖν τινά,
ὠθεῖν δ' ἀπ' οἴκων. καὶ τάδ' οὔτις ἄλλος ἦν
ἢ 'γὼ 'π' ἐμαυτῷ τάσδ' ἀρὰς ὁ προστιθείς.

Cic. de or. I, 17: — „atque oratori propria traderes. *Haec*, quum ego praeter Rhodum venissem et cum summo illo doctore istius disciplinae Apol-

lonio, ea, quae a Panaetio acceperam, contulissem, irrisit ille quidem, ut solebat, *philosophiam*, atque contempsit, —." ubi substantivum philosophia repetit, quod pronomen haec declarat: nam quae oratori propria tradiderat Crassus, ipsa erat philosophia. In Cic. Acad. II, 24, 78: „Nam illud, nulli rei assensurum esse sapientem, nihil ad hanc controversiam pertinebat. Licebat enim nihil percipere et tamen opinari: quod a Carneade dicitur probatum. Equidem Clitomacho plus, quam Philoni aut Metrodoro credens, hoc magis ab eo disputatum, quam probatum puto. Sed id omittamus; *illud* certe, opinatione et perceptione sublata, sequitur, omnium assensionum retentio." pronomen *illud*, subjectum verbi sequitur, respicit ad verba remotiora nulli rei assensurum esse sapientem.

2) Epexegesis constat ex infinitivis [12]) vel solis vel cum adjuncto quodam copulatis.

Quoniam substantivis abstractis maxime cognati sunt infinitivi, haud mirum videtur, quod hi quoque priora enuntiata epexegesi repetunt, idque vel soli vel paullo plenius [13]).

---

12) Haud raro in Graeca lingua epexegesis continetur participio v. c. Thucyd. III, 18, 3. Cfr. Stallb. ind. ad Plat. opp. Idem genus dicendi neque a Latino sermone alienissimum esse locis probatur, quos infra (pg. 40 et 47) denuo allegabimus, Liv. VI, 8. Sall. Jug. XIV, 21.

13) De hoc loquendi genere in Graeca quoque lingua frequentissimo cfr. Stallb. ad Plat. Apol. 1 et ad Euthyphr. pg. 38 et 70, qui citat Heindorf. ad Phaed. pg. 79. Matth. ad Eur. Phoen. 520. Krueger. post Dionys. Hal. pg. 292. Bornem. ad Xen. Anab. I, 1, 7.

Cic. Tusc. I, 37: „Nec enim potest miser esse quisquam sensu peremto. At *id ipsum* odiosum est, s i n e s e n s u e s s e.“ ubi epexegis repetit, quod pronomina *id ipsum* declarant. Namque eum, cujus sensus sit peremtus, sine dubio etiam dicere licet sine sensu esse. Cic. divin. 46, 104: „Haec posse contemni vel etiam rideri, praeclare intelligo; sed *id ipsum* (nempe haec contemnere) est deos non putare, q u a e a b i i s s i g n i f i c a n t u r, c o n t e m n e r e.“ Neque minus in Cic. Tusc. I, 39, 93: „Nondum gustaverat vitae suavitatem; hic autem jam sperabat magna, quibus frui coeperat. At *id ipsum* (n. coepisse frui) in ceteris rebus melius putatur, a l i q u a m p a r t e m, q u a m n u l l a m a t t i n g e r e.“ manifestum est, epexegesi eandem cogitationem, quae inest in pronominibus *id ipsum* redintegrari. Caes. B. C. I, 5, 2: „Sed de sua salute septimo die cogitare coguntur. *Quod* (n. de sua salute cogitare) illi turbulentissimi superioribus temporibus tribuni plebis octavo deniqne mense suarum actionum r e s p i c e r e a c t i m e r e consuerant.

B.

Epexegesis continetur tota sententia.

§ 1.

Longe autem usitatissimum est, pronomini ad praeeuntem enuntiationem spectanti epexegesin subjungi, quae ex tota enuntiatione constet. Ubi no-

tandum, ista pronomina modo proxime antegressam cogitationem, modo remotiorem neque solum aliquam ante dictorum partem, verum etiam totum verborum superiorum contextum complecti et referre posse. Quamvis autem omnes hae relationes genere neutro pronominis relativi et demonstrativorum saepe sine ulla epexegesi denotantur, ut legenti solo ex contextu extricandum sit, quid revocet pronomen in memoriam, tamen elucet, quantum epexegesis crebro afferat ad orationem dilucidandam. Item per se patet, iteratione unius ejusdemque cogitationis, modo ne ea cum natura bene distincteque dicendi, quae repetitionibus refragatur inutilibus, pugnet, majus pondus parari. Ex hac vero ipsa natura bene distincteque loquendi efficitur, ut neutiquam, id quod jam apposita exempla docent, ea, ad quae pronomen referendum est, prorsus iisdem verbis semper iterentur in epexegesi, sed potius, etiamsi cogitatio ipsa nihil leviterve mutetur, verba tamen rarius eadem repetantur. Ad grammaticam vero quod spectat formam, qua epexegesis in toto enuntiato sita pronomini relativo vel demonstrativis subjungitur, minime Reisigio (doctr. ling. Lat. § 315,5) credas statuenti, eam infinitivo vel accusativo cum infinitivo cohiberi. Cui opinioni loci permulti adversantur. Namque praeter hanc structuram crebro epexegesis apta est vel ex conjunctionibus, e. g. u t, n e, aliis, vel ex pronominibus relativis. Quae omnia exempla satis patefacient.

Plat.[14]) Phaed. 9: „Ἆρα μὴ ἄλλο τι ἢ τὴν τῆς ψυχῆς ἀπὸ τοῦ σώματος ἀπαλλαγήν (sc. τὸν θάνατον); καὶ εἶναι τοῦτο τὸ τεθνάναι, χωρὶς μὲν ἀπὸ τῆς ψυχῆς ἀπαλλαγὲν αὐτὸ καθ' ἑαυτὸ τὸ σῶμα γεγονέναι." Cic. de fato 18: „Quae si ipsae non sint in nostra potestate, non sequitur, ut ne appetitus quidem sit in nostra potestate. At *hoc* sequeretur, si omnia perfectis et principalibus causis fieri diceremus, ut, quum hae causae non essent in nostra potestate, ne ille quidem esset in nostra potestate." Cic. de nat. deor. III, 10: Idemque si dii non sint, negat esse in omni natura homine melius. *Id* autem putare quemquam hominem, nihil homine esse melius, summae arrogantiae censet esse." Cic. de divin. I, 30, 63: „Itaque appropinquante morte, multo est divinior (sc. animus). Nam *id ipsum* (n. appropinquare mortem) vident, qui sunt morbo gravi et mortifero affecti, instare mortem." Ad verba paullo remotiora spectat demonstrativum in Cic. de divin. (cfr. Wopkens. lectt. Tull. ad l. c.) I, 30, 64: „Divinare autem morientes —. Sed tribus modis censet deorum appulsu homines somniare —. *Id*que, ut modo dixi, facilius eveniet, appropinquante

---

14) Imprimis in Platonis, ut dialectici, scriptis hoc genus loquendi est frequentissimum. Praeter *τοῦτο* etiam *τόδε*, *ἐκεῖνο*, *αὐτό*, *τὸ αὐτό*, *τοιοῦτο*, neque minus numerus pluralis horum pronominum, quin immo adverbia *οὕτως*, *ἐκεῖσε*, alia, ad superiora referenda persaepe epexegesi iterum explicantur. Itaque minime ex paucis illis exemplis, quae nos supra apposuimus, ne levis quaestiuncula supra modum et justos terminos augesceret, hunc usum epexegeticum rarum esse colligas.

morte, ut animi futura augurentur." Cic. de or. III, 44, 173: „numeros quosdam nobis esse adhibendos putaverunt. — *Id*que princeps Isocrates instituisse fertur, ut — numeris adstringeret."

§. 2.

Nemini, puto, ne in mentem quidem venire potest, omnibus in locis, quos adhuc allegavimus facileque multis augere licet, pronomen sive subjecti sive objecti vice fungens haberi debere aut particulam vel conjunctionem quandam, aut cogitandum esse de illo pronomine vel relativo vel demonstrativo, quod objectum internum declaret, vel de accusativo, qui vocatur, Graeco. Nam jam nunc nobis probasse videmur, hunc usum epexegeticum quum ad illa pronomina, quorum naturam supra descripsimus, spectare, tum utriusque linguae proprium ac pervagatum esse. Item neminem, opinor, offendere poterit, quod ipsa cogitatio, ad quam relativum vel demonstrativum referendum est, modo plus modo minus immutatur. Quoniam enim epexegesis nullo alio consilio addi solet, nisi ut accedat aliquid, quo illud, ad quod pronomen spectat, accuratius definiatur: fieri non potest, quin is, qui scribit vel loquitur, superiorem cogitationem crebro ita conformet, ut ex hac sententia facilius et clarius perspiciatur, quid auctori ad antecedentia respicienti et jam ad ea, quae deinceps allaturus est, animum applicanti in ponendo pronomine amplius enarrandum visum sit. Unde fit, ut epexegesi tum supe-

riora explicatius, tum ea, quae oratione praegressa nescio quomodo involuta sunt, accuratius magisque perspicue subjungantur. Neque minus frequenter pronomen repraesentat verba remotiora, digressione aliqua interrupta, quae dein epexegesi vel eadem vel nonnihil immutata repetuntur. Persaepe autem in epexegesi subjungitur pronomini, quidquid verba praemissa proprie sibi volunt, ut in illa modo quandam causam vel consecutionem judiciumve scribentis de re proxime enarrata, vel omnino veram rationem inveniamus, maxime ita quidem, ut pro speciali quadam re magis generalis sententia, ex praemissis verbis facile emergens vel similia reperiantur[15]). Hinc potissimum mihi fluxisse videntur illae admodum diversae grammaticorum quorundam opiniones, qui ratione hujus locutionis non perspecta nullaque demonstrativorum ratione habita voculam quod modo pro sed, autem, modo pro quamobrem, qua in re, cet. positam putabant: quam significationem non habet. Itaque jam exempla excitemus, in quibus pronomen relativum sic usurpatum legimus.

Cic. or. 63, 210: „— funditur numerose oratio. Id nos fortasse non perfecimus, conati quidem saepissime sumus. *Quod* (n. nos conatos esse) plurimis locis perorationes nostrae voluisse nos atque animo contendisse declarant.“ Quoniam dicendo, quod voles perficere, ad sensum idem est, quod

15) Idem fit in Graeca lingua. Cfr. Matth. gr. Gr. l. c. Schaefer. app. crit. ad Dem. II, 508. Stallb. ind. ad Plat. opp.

animos quocunque modo commovere, satis hoc quoque loco dilucidum est, epexegesi eandem cogitationem contineri, ad quam pronomen quod referendum est. Cic. de divin. I, 45: „ – bonis nominibus, qui hostias ducerent, eligebantur. *Quod idem* (n. bonis nominibus eligere) in delectu consules observant, ut primus miles fiat bono nomine." Cic. epp. ad fam. XIII, 40: „— si ulla mea apud te commendatio valuit, *quod* scio, multas plurimum valuisse, haec ut valeat, rogo." Cic. de am. XV, 53: „Coluntur (tyranni) dumtaxat ad tempus. Quod si forte, ut fit plerumque, ceciderint, tum intelligitur, quam fuerint inopes amicorum. *Quod* Tarquinium dixisse ferunt, tum (exsulantem) se intellexisse, quos fidos amicos habuisset, quos infidos, quum jam neutris gratiam referre posset." Caes. B. G. VI, 15, 1: „— atque aliquod bellum incidit (*quod* ante Caesaris adventum fere quotannis accidere solebat, uti aut ipsi injurias inferrent, aut illatas propulsarent) —." Cic. de legg. III, 9, 21: „Quis umquam tam audax —, ut cogitaret de statu nostro, nisi mucronem aliquem tribunicium exacuisset in nos? Quem quum homines scelerati ac perditi non modo ulla in domo, sed nulla in gente reperirent, gentes sibi in tenebris reipublicae turbandas putaverunt. *Quod* nobis quidem egregium et ad immortalitatem memoriae gloriosum, neminem in nos mercede ulla tribunum potuisse reperiri, nisi cui ne esse quidem licuisset tribuno." Nep. Att. 18, 5: „Nam — ex-

posuit ita ut sub singulorum imaginibus facta magistratusque eorum non amplius quaternis quinisve versibus descripserit: *quod* vix credendum sit, tantas res tam breviter potuisse declarari." Cic. de legg. II, 23, 60: „Haec laudabilia et locupletibus fere cum plebe communia. *Quod* quidem ma- maxime e natura est, tolli fortunae discrimen in morte." Huc etiam sine ulla dubitatione revocaverim illum locum, quem initio nostrae quaestiunculae ad refutandam opinionem, quod esse particulam quandam, allegavimus. Dico Cic. de nat. deor. II, 9: „— refrigerato — calore, occidimus ipsi et exstinguimur. *Quod* quidem Cleanthes his etiam argumentis docet, quanta vis insit caloris in omni corpore." Liv. XXI, 62, 2: „milites navalesque socios vagos palantesque per agros (*quod* ferme fit, ut secundae res negligentiam creent) ad naves compellit." Cic. in Verr. III, 56: „vereor, ne — omnia me nimis augere atque ornare arbitrentur; *quod* tamen nemo suspicari debet, tam me esse cupidum, ut tot viros primarios velim — esse temeritati et mendacio meo conscios." Liv. XXVII, 7: „Carthaginis expugnationem in hunc annum contuli multis auctoribus, haud nescius, quosdam esse, qui anno insequenti captam tradiderint. *Quod* mihi minus simile veri visum est, annum integrum Scipionem nihil gerundo in Hispania consumpsisse." Liv. VI, 20, 2: „— commota est plebs utique postquam sordidatum reum viderunt nec cum eo non modo Pa-

trum quemquam, sed ne fratres quidem, A. et T. Manlium: *quod* ad eum diem nunquam usu venisset, ut in tanto discrimine non et proximi vestem mutarent." Cic. de fin. II, 4, 12: „deinde qui fit, ut ego nesciam, sciant omnes, quicunque Epicurei esse voluerint. *Quod* vostri quidem vel optume disputant, nihil opus esse, eum, qui futurus sit philosophus, scire litteras." quo loco Madvigius rectissime annotat, praemissa verba „sciant — voluerint" nihil significare, nisi ut voluntas sufficiat, nihil opus sit discere. Ad remotiora vero verba, quae dein epexegesi nonnihil commutata repetuntur, spectat pronomen relativum in Cic. in Caecin. XXV, 70: „Qui jus civile contemnendum putat, is — revellit — vincula utilitatis vitaeque communis —. Sin peritis non putat esse obtemperandum, non homines laedit, sed leges ac jura labefactat. *Quod* vobis venire in mentem profecto necesse est, nihil esse in civitate tam diligenter, quam jus civile, retinendum."

De epexegesi similiter conformata pronominibus demonstrativis subjuncta cfr. insuper Cic. Tusc. II, 12, 28. Liv. VIII, 38, 7. Vellej. Paterc. H. R. II, 15. Cic. de or. II, 73, 296. Caes. B. G. V, 4, 4, quo loco postremo pronomen cum substantivo vel participio substantive usurpato junctum est.

§. 3.

Denique jam passim ediximus, pronomina et relativum et demonstrativa saepe ad totam orationem ante-

gressam referenda esse. Quod ubi fit, interdum non eadem vel explicatior cogitatio, sed paullo angustior in epexegesi pronominibus subjungitur. Ibi videtur quidem adhibenda esse illa interpretatio, quod idem esse atque qua in re vel quod ad hanc rem pertinet. At vero sic videtur tantum. Nam memoria bene tenendum, his pronominibus, de quibus agimus, saepenumero, licet aliquam modo praemissae orationis partem repraesentent, tamen multo latiorem explicationem subjungi. Neque minus vero ex omnibus, quae adhuc tractavimus, satis abundeque jam elucet, hunc usum pronominum epexegeticum veteribus usitatissimum fuisse, illamque ipsam (id quod maxime attendendum est) esse gravissimam causam ponendi tam pronominis relativi, quam demonstrativorum, quod ex superioribus tantum aliquid iteretur. Quamobrem pronomen relativum etiam his in locis nihil est nisi subjectum vel objectum verborum transitivorum neque opus est ea interpretatione, quam modo attulimus.

Cic. II Verr. I, 119: „— tum vero in magistratu contra illud edictum suum sine ulla religione decernebat. Itaque L. Piso multos codices implevit earum rerum, in quibus ita intercessit, quod iste aliter atque ut edixerat, decrevisset. *Quod* vos oblitos esse non arbitror, quae multitudo, qui ordo ad Pisonis sellam isto praetore solitus sit convenire.“ Si hoc loco epexegesis „quae multitudo — convenire“ abesset, secundum antecedentia pronomen quod indicaret, L. Pisonem adversus

Verrem ob edictum violatum egisse idque saepenumero. Sed quum oratoris id ipsum interesset, ut magnam harum actionum copiam notaret, quod hac solum ratione iterum explanavit, studiose is quidem rem quandam adhibens, ex qua quisque per se illam copiam cognosceret. Cic. de divin. II, 41, 87: „Fani (sc. Fortunae) pulchritudo et vetustas Praenestinarum etiam nunc retinet sortium nomen. Quis enim magistratus aut quis vir illustrior utitur sortibus? ceteris vero in locis sortes plane refrixerunt. *Quod* Carneadem Clitomachus scribit dicere solitum, nusquam se fortunatiorem quam Praeneste vidisse Fortunam." ubi ante dicta liquet faceta Carneadis animadversione omnino repeti, licet modo magis circumscripto. Similis epexegesis selecta pronomen quod etiam excipit in Cic. or. 16, 52: „Quum autem, quid et quo loco dicat, invenerit, illud est longe maximum, videre, quonam modo. Quod si in philosophia tantum interest, quemadmodum dicas, ubi res spectatur, non verba penduntur, quid tandem in causis existimandum est, quibus totis moderatur oratio. *Quod* quidem ego, Brute, ex tuis litteris sentiebam, non te id sciscitari, qualem ego in inveniendo et in collocando summum esse oratorem vellem, sed id mihi cet."

§. 4.

Rectius contendi potest, pronomen quod haud raro causalem quandam recepisse significationem in formula illa poetis maxime trita, quae est *quod te*

cum verbis orandi conjuncta. Cujus rei tamen causam caveas, ne ex natura ac vi voculae quod derives, quum ea potius sit in potestate verborum orandi sita, in quibus res orata vel petita simul causa precationis est. Unde patescit, quam imperite egerint, qui ex hoc singulari usu totum locutionis genus extricare conati sunt[16]). Ceterum ne hic quidem usus ab eo discrepat, ex quo relativum objecti vice fungens cogitationem refert antea latam vel implicitam et postea epexegesin, qua superiora modo plus modo minus mutantur, accipere potest, veluti Ter. Hec. III, 2, 3:

„Male metuo, ne Philumenae magis morbus adgravescat.
Quod te, Aesculapi, et te, Salus, ne quid sit hujus, oro.“

ubi quod, objectum verbi oro, ad praemissa „ne — adgravescat“ referendum, exinde magis generaliter epexegesi „ne quid sit hujus“ iterum explanatur. Hor. Ep. I, 7, 94:

„Pol, me miserum, patrone, vocares,
Si velles, inquit, verum mihi ponere nomen.

---

16) Cfr. Scheller. et Georg. lex. s. v. quod. Praeterea, quod ad hunc ipsum usum pronominis quod attinet, omnes propemodum atque etiam recentissimi interpretes in eo consentiunt, quod pro propter quod positum esse, aliis idem καθ' ὅ interpretantibus, aliis dictionis elegantiam multum collaudantibus, quamvis eam quidem non explicent. Cfr. Burm. ad Virg. Aen. II, 141. Bentl. ad Ter. Andr. I, 5, 54. Ph. Wagner. ad. Virg. Aen. II, 141 et VI, 363 et X, 631. Orell. ad Hor. Ep. I, 7, 92.

Quod te per genium dextramque deosque Penates
Obsecro et obtestor, vitae me redde priori!"
i. e. et hoc est illud, quod te oro, (nempe) redde me vitae priori! Itaque hic quoque, quid *quod* sibi velit, epexegesi dilucidatur. Namque Volteji non tam intererat, ut a Philippo miser haberetur atque vocaretur, quam ut vitae suae priori redderetur, quae sententia, quum antea non aperte pronuntiata, sed modo tecte indicata esset, per epexegesin adjecta est. Etsi nos igitur quod, quia non dicimus: „und dieses bitte ich dich", hic et alibi „und darum" sive „und deswegen bitte ich dich" interpretamur, tamen oblivisci non debemus, nostrum „darum" tum tantum ad mentem Latinorum accedere, quando pro „um dieses", neque vero pro „daher" ponatur. Non enim particula, sed verum pronomen relativum quod etiam in hujusmodi locis est: id quod ei haud dubium videri poterit, qui locos a nobis ad usum epexegeticum pronominis relativi comprobandum allatos accurate consideraverit, atque ubique diligenter expenderit, quemadmodum sententia, ad quam quod spectat, epexegesi immutetur. Etenim non solum praemissa sententia epexegesi tum in modum ampliorem, tum tantum selecta quadam ratione repetitur, sed frequenter etiam epexegesis causam vel consequentiam vel verum finem vel similes mutationes ejus sententiae exhibet, quam quod proprie repraesentat. Et quum praeterea, ut hac disputatione exeunte docebimus, hic usus pronominis relativi apud Latinos adeo invalesceret, ut

vel praestantissimi auctores orationis pedestris crebro eorum, ad quae quod revocandum est, paene nullam amplius rationem haberent, sed huic pronomini haud raro res nondum memoratas loco epexegesis subjungerent, ita ut quod sic usurpatum penitus in particulam vel conclusivam vel transitum modo orationis parantem abiisse videatur: tanto minus miraberis, quod apud poetas in verbis pronomini quod succedentibus aliquid, quod antea indicatum sit, reperire saepius difficile est. Item quoque judicandum de hisce locis: Virg. Aen. II, 141:

„Nec mihi jam patriam antiquam spes ulla videndi,
Nec dulcis natos exoptatumque parentem,
Quos illi fors ad poenas ob nostra reposcent
Effugia, et culpam hanc miserorum morte piabunt.
Quod te, per superos et conscia numina veri,
Per, si qua est, quae restet adhuc mortalibus usquam
Intemerata fides, oro, miserere laborum
Tantorum; miserere animi non digna ferentis.“

Ibid. VI, 363:

„Nunc me fluctus habet, versantque in litore venti.
Quod te per coeli jucundum lumen et auras,
Per genitorem oro, per spes surgentis Iuli,
Eripe me his, invicte, malis, aut tu mihi terram
Injice, namque potes, portusque require Velinos“ cet.

Ter. Andr. I, 5, 54:

„Mi Pamphile, hujus formam atque aetatem vides,
Nec clam te est, quam illi nunc utraeque inutiles
Et ad pudicitiam et ad rem tutandam sient.
Quod te per hanc dextram oro et ingenium tuum,
Per tuam fidem, perque hujus solitudinem
Te obtestor, n e a b s t e h a n c s e g r e g e s n e u
d e s e r a s."

De pari pronominum demonstrativorum usu nobis satis fore videtur, unum exemplum apponi. Plaut. Capt. II, 3, 79 sq.:

„Fac fidelis sis fideli; cet. . . . .
. . . .
Serva in perpetuum tibi amicum me atque hunc
inventum inveni.
Haec per dexteram tuam te dextera retinens manu
Obsecro, infidelior mihi ne fuas quam ego
sum tibi."

Sin vero cuipiam etiam nunc dubium sit, ex hoc usu epexegetico voculam q u o d explicandam esse, eum convincat necesse est aliud hujus locutionis genus, ex quo maxime dilucide patescit, q u o d nihil esse nisi merum pronomen relativum.

a.

Ablativo comparativo tam pronominis relativi, quam demonstrativorum epexegesis, quae tota continetur sententia, additur.

Notissimum est, post comparativos rem comparatam particula quam vel ἤ omissa mutari in Graeca lingua in genitivum, in Latina in ablativum. Id ex propria horum casuum natura declarandum est. Quod si res comparata in tota enuntiatione praeeunte collocata est, manifestum videtur, quum pronomen relativum vel demonstrativum ad summam illius spectet, ibi, ubi particula quam vel ἤ ponatur, nominativum horum pronominum vel interdum accusativum generis neutrius, ubi vero illae particulae omittantur, genitivum vel ablativum usurpandum esse. Qui usus est admodum tritus. Si igitur huic ablativo vel genitivo pronominum gen. neutr. frequentius epexegesis quaedam additur, neutiquam amplius dubitari potest, quin revera quod merum sit pronomen relativum. Atqui sane tuentur sese invicem ac defendunt multa loca, in quibus, quod jam inclusum erat pronomine relativo vel demonstrativo, explicatur adjecta cum quam vel ἤ[17]) integra sententia, ita ut altera comparationis pars bis denotetur. Hinc apparet, errasse Manutios, Lambinos, Bentlejos, alios, qui ratione hujus locutionis non percepta alte-

17) De hac locutione pariter in Graeca lingua frequenti cfr. Matth. gr. Gr. § 476 et 450 Not. 2. Krueger. gr. Gr. 59. Not. 8. Plat. Phaed. 39, al. Stallb. ind. ad Plat. opp.

rum comparationis membrum resecandum suadebant, quippe quod constructioni maximo sit impedimento, ineptias vero protulisse, qui quo in quaeso, quum mutabant, aut voce quo servata interpretabantur licet eo.

Cic. de fin. I, 6, 19: „ait enim declinare atomum sine causa; *quo* nihil turpius physico, quam fieri quicquam sine causa dicere.“ Pro speciali re „declinare — sine causa“ epexegesi eadem cogitatio, sed magis generaliter explanatur. Similiter pronomini relativo in epexegesi vera ratio subjungitur in Cic. de nat. deor. I, 15, 38: „— habitos esse deos, a quibus magna utilitas ad vitae cultum esset inventa, ipsasque res utiles et salutares deorum esse vocabulis nuncupatas; ut ne hoc quidem diceret, illa inventa esse deorum, sed ipsa divina. *Quo* quid absurdius, quam aut res sordidas atque deformes deorum honore afficere aut homines jam morte deletos reponere in deos, quorum omnis cultus esset futurus in luctu?“ Cic. de or. II, 74, 302 (respice antecedentia): „*Quo* mihi videri turpius nihil solet, quam quum ex oratoris dicto aliquo aut responso aut rogatu sermo ille sequitur: occidit ille!“

Ut vero ablativum pronominum demonstrativorum comparativum epexegesi quadam explanatum fulciamus, pauca exempla sufficient.

Cic. Acad. I, c. ult.: „— censebat — nihil oportere — assensione approbare, cohibereque — temeritatem, quae tum esset insignis, quum aut falsa aut

incognita res approbaretur: neque *hoc* quidquam esse turpius, quam cognitioni et perceptioni assensionem approbationemque praecurrere." Cic. ep. ad Att. IV, 8, 6: „nam de ipso casu nescio, an illud melius. Quid enim *hoc* miserius, quam eum, qui tot annos designatus consul fuerit, fieri consulem non posse?

III.

Pronomini relativo subjecti aut objecti enuntiationis ex conjunctionibus subordinantibus suspensae vice fungenti epexegesis snbjungitur.

A.

Pronomini relativo epexegesis prorsus eodem, quo sub II retulimus, modo subjungitur grammatica ratione servata.

Posteaquam igitur nobis jam satis illustrasse videmur, hunc tam pronominis relativi quam demonstrotivorum usum epexegeticum auctoribus antiquis maxime tritum fuisse, simulque voculam quod omnibus in locis, quos hucusque allegavimus, verum esse pronomen relativum: nunc ad alteram transeamus nostrae quaestiunculae partem, qua nos probaturos speramus, etiam illud quod, quod saepissime quasi ex abundantia quadam conjunctionibus subjunctivis praemittitur, minime esse particulam quandam, sed re vera pronomen relativum, quod secundum suam ipsius naturam ad ante dicta referendum

tum epexegesi facile careat, tum eam asciscat. Cui sententiae confirmandae maxime hae rationes idoneae videntur. Satis superque constat, pronomen relativum propter amorem quendam, quo Latini id amplexi sunt, arctioremque ob enuntiatorum copulationem libenter conjunctionibus, quae dicuntur subordinantes, ita praemitti, ut aliquam partem enuntiationis ex conjunctione suspensae contineat. Quod ubi fit, tam in Graeca quam in nostra lingua, quum conjunctio non minus quam pronomen relativum primum sententiae locum flagitet, sed enuntiatio tantummodo aut a pronomine relativo aut a conjunctione initium capere possit, relativum semper cum demonstrativo commutandum est. Quae Latinae linguae proprietas nobis potissimum ex prima et peculiari illa significatione, ob quam pronomen relativum cognitionem aliquam ante latam repraesentans per se etiam demonstrationi inservire potest, evasisse videatur. Haec res utcunque se habet, hoc certe constat, pronomen relativum sic positum circa rem ipsam, excepta arctiore enuntiatorum connexione, minime a pronomine demonstrativo differre quum omnino, tum ubi utrumque genere neutro cogitationem vel sententiam aliquam antecedentem complectitur et refert. Si igitur pronomina demonstrativa etiam in enuntiatis, quae conjunctionibus subjunctivis inchoantur, prorsus eadem ratione, ut supra disseruimus, ad superiora spectant et dein iterum epexegesi quadam ex illis facile prodeunte illusran-

tur, paene mirum cuipiam videretur, si non perinde pronomen relativum usurparetur.

Demonstrativa vero pronomina sic adhiberi, haecce pauca exempla convincent:

Plat. Phaed. 15: „— καὶ γίγνονται ἐκ τῶν τεθνεώτων· καὶ εἰ τοῦθ᾽ οὕτως ἔχει, πάλιν γίγνεσθαι ἐκ τῶν ἀποθανόντων τοὺς ζῶντας.“ — ubi neminem fugiet, epexegesi eandem cogitationem repeti, ad quam pron. τοῦτο referendum est. Caes. B. G. I, 7: „Erant omnino itinera duo, quibus itineribus domo exire possent: unum per Sequanos, —, alterum per provinciam nostram, —. — vel vi coacturos, ut per suos fines eos ire paterentur. Omnibus rebus ad profectionem comparatis, diem dicunt, qua die ad ripam Rhodani omnes conveniant. Caesari *quum id* nuntiatum esset, e o s p e r p r o v i n c i a m n o s t r a m i t e r f a c e r e c o n a r i, maturat ab urbe proficisci.“ Hyg. fab. (cfr. Wopkens. lectt. Tull. l. c.) 188: „*Hoc* Neptunus *ut* vidit, in p e c o r a c o m m u t a t o s c o n s u m i, —.“ Ibid. 122: „*Id* Aletes *quum* rescisset, ex A t r i d a r u m g e n e r e n e m i n e m s u p e r e s s e, —.“

Itaque nulla sane jam causa restat, quin relativum quoque pronomen, ubi itidem omni ratione grammatica servata declarare possimus, ibi sic neque aliter interpretemur. Id vero certe tum usu veniet, quando pronomen relativum vel subjecti vel objecti vice fungitur et ad praecedentia spectans ex iisdem causis, quas retulimus, epexegesin accipit, qua superiora modo plus modo minus immutantur.

At ex hac quoque locutione patescit, quomodo epexegesis plerumque nihil nisi ea, ad quae pronomen referendum est, reddat, simulque grammaticae formae, quibus epexegesin uti vidimus, non mutentur.

Primum igitur epexegesis rursus aliquo substantivo abstracto aut infinitivo, plerumque iis quidem cum adjuncto quodam copulatis, continetur, quo vel ante dictorum pars quaedam major vel tota enuntiatio repetitur. Hic tamen, ne hoc dicendi genus cum illo, quod infra tractabimus, permisceamus, diligenter explorandum est, num substantivum vel infinitivus revera id, quod in pronomine inest, contineat, an epexegesis in tota enuntiatione sita sit.

Cic. de fin. IV, 4: „Nam qui sciet, ubi quidque positum sit, quaque eo veniat, is, etiamsi quid obrutum erit, poterit eruere, semperque esse in disputando suus. *Quod etsi* ingeniis magnis praediti quidam, dicendi copiam, sine ratione consequuntur, ars tamen“ cet.

Infinitivus cum objecto suo pronomini epexegetice substruitur in Cic. de fin. I, 20, 67: „— vita sine amicis insidiarum et metus plena —. Atque ut odia — adversantur voluptatibus, sic amicitiae non modo fautrices fidelissimae, sed etiam effectrices sunt voluptatum tam amicis, quam sibi; quibus non solum praesentibus fruuntur, sed etiam spe eriguntur consequentis temporis. *Quod quia* nullo modo sine amicitia firmam et perpetuam jucunditatem vitae tenere possumus, —.“ Caes. bell. civ. III, 68: „Munitionem, quam pertinere a

castris ad flumen supra demonstravimus, — cohortes ignorantia loci sunt secutae, quum portam quaererent castrorumque eam munitionem esse arbitrarentur. *Quod quum* esset animadversum, conjunctam esse flumini, prorutis his" cet. Cic. de off. I, 14: „Alter erat locus cautionis, ne benignitas major esset, quam facultates. *Quod qui* benigniores volunt esse, quam res patitur, primum in eo peccant, cet." ubi quod alteri pronomini relativo, id quod saepius reperitur, praepositum est, et epexegesis constat ex inf. esse cum adjuncta notione adjectiva.

Atqui in hoc quoque genere dicendi frequentissime pronomen ad superiora spectans postea tota quadam sententia explicatur.

Auct. bell. Hisp. 19 sq.: „Ita oppido potitus (sc. Caesar) imperator est appellatus. *Quod* (n. Caes. oppido potitum esse) Pompejus ex perfugis *quum* deditionem oppidi factam esse scisset, castra movit." Caes. B. C. II, 16: „Celeriter res administratur; diuturni laboris detrimentum sollertia et virtute militum reconcinnatur; portae, quibus locis videtur, eruptionis causa in muro relinquuntur. *Quod ubi* hostes viderunt, ea, quae diu longoque spatio refici non posse sperassent, paucorum dierum opera et labore ita refecta, ut cet." Cic. de off. III, 31, 112: „L. Manlio — diem dixit; — criminabatur etiam, quod Titum filium ab hominibus relegasset et ruri habitare jussisset. *Quod quum* audivisset adolescens filius, negotium exhiberi

patri, —." Cic. II Verr. I, 26, 6 sq.: „vocetur mulier! et simul servis suis Rubrius, ut januam clauderent et ipsi ad fores assisterent, imperat. *Quod ubi* ille intellexit, id agi atque id parari, ut filiae suae vis afferretur, servos suos ad se vocat." Gell. N. A. XII, 1, 8 sq.: „Quod quidem faciunt eadem vecordia, qua quibusdam commenticiis fraudibus nituntur, ut foetus quoque ipsi in corpore suo concepti aboriantur, ne aequor illud ventris irrugetur ac de gravitate oneris et labore partus fatiscat. *Quod quum* sit publica detestatione communique odio dignum, in ipsis hominem primordiis, dum fingitur, dum animatur, inter ipsas artificis naturae manus interfectum ire; —." Liv. VI, 8: „Dato deinde signo, ex equo desilit et proximum signiferum — secum in hostem rapit; infer, miles, clamitans, signum! *Quod ubi* videre, ipsum Camillum, jam ad munera corporis senecta invalidum, vadentem in hostes, —." Senec. cons. ad Marc. VI: „scio, quid dicas, oblitus, feminam te consolari, virorum refers exempla." Deinde agitur de Lucretia et Cloelia, quo facto auctor sic pergit: „*Quod* tibi *si* vis, exempla referri feminarum, —." Lactant. I, 1, 5: „*Quod quia* fieri non potuit, ut homini per se ipsum ratio divina innotesceret, —." Cic. de sen. 23, 82: „quasi quum excessisset e vita, tum denique victurus esset. *Quod* quidem *ni* ita se haberet, ut animi immortales essent, —." Liv. XXXII, 37, 6: Quinctio liberum arbitrium pacis ac

belli permissum. *Quod ut* satis apparuit, non taedere belli senatum, — ." Hirt. bell. Afr. 39: „— ex acie instructa equitatus sui prope totum dextrum cornu (Labienus) avertit, atque suis fugientibus suppetias ire contendit. *Quod ubi* Caesar conspexit, Labienum ab suis copiis longius jam abscessisse, —." Hor. Epp. I, 9, 10 (cfr. Orell. ad h. l.):

„Sic ego, majoris fugiens opprobria culpae,
Frontis ad urbanae descendi praemia. *Quod si*
Depositum laudas ob amici jussa pudorem,
Scribe cet."

Auct. bell. Hisp. 36: „Lusitani Hispali pugnare nullo tempore desistebant. *Quod* Caesar *quum* animadverteret, si oppidum capere contenderet, ut homines perditi incenderent et moenia delerent, —." Ad verba paullo remotiora, digressione ad Catonis inexhaustam aviditatem legendi facta, respicit quod et dein pariter explanatur in Cic. de fin. III, 2: „Quo quum venissem, Catonem, quem ibi esse nescieram, vidi —. *Quod quum* accidisset, ut alter alterum necopinato videremus, —." Cic. de or. II, 48, 199 (respice antecedentia): „*Quod si* unquam populo Romano concessum esset, ut jure concitatus videretur, —." Ibid. paullo post: „*Quod ubi* sensi, me in possessionem judicii ac defensionis meae constitisse, cet." Cic. Verr. IV, 66, 148 (respice antecedentia): „*Quod ubi* intellexi, multum apud illum recentes nuntios, multum tabellas — tributarias valuisse, cet."

Est igitur, quod nunc jam summo jure colligere possumus, proprietas Latinorum maxime trita, ubicunque subsequentia cum antecedentibus ita cohaerent, ut haec illis fere solum aliquo modo repeti videantur, id pronomine relativo exprimendi. Tantum autem abest, ut semper praegressa oratio epexegesi tantummodo iteretur vel dumtaxat nunc magis nunc minus commutetur, ut epexegesi haud raro multa implicentur, quae licet cum praecedentibus arcte connexa sint, tamen ne uno quidem verbo significata erant. Tali modo ait Liv. VI, 7, 2: „Itaque novus hostis veteri adjunctus commovit animos militis Romani. *Quod ubi* aciem jam instruenti Camillo centuriones renuntiaverunt, turbatas militum mentes esse, segniter arma capta, cunctabundosque et resistentes egressos castris esse, quin voces quoque auditas, cum centenis hostibus singulos pugnaturos, et aegre inermem tantam multitudinem, nedum armatam, sustineri posse, in equum insilit“ cet. Est quidem quod objectum verbi renuntiaverunt, spectatque ad proxime antegressa, sed quanto explicatior et amplior epexegesis? Item Caes. B.G. III, 23: „Hi consuetudine populi Romani loca capere, castra munire, commeatibus nostros intercludere instituunt. *Quod ubi* Crassus animadvertit, suas copias propter exiguitatem non facile diduci, hostem et vagari et vias obsidere et castris satis praesidii relinquere, ob eam causam minus

commode frumentum commeatumque sibi supportari, in dies hostium numerum augeri, —." Cic. de legg. II, 13: „Divinationem esse censeo, et hujus hanc ipsam partem, quae est in avibus ceterisque signis disciplinae nostrae. *Quod quum* summos deos esse concedamus, eorumque mente mundum regi, et eorundem benignitatem consulere generi, et posse nobis signa rerum futurarum ostendere, non video, cur esse divinationem negem."

Verum harum similiumque relationum, si quis semel rationem hujus locutionis perceperit, explicatio est facillima.

B.

Pronomini relativo epexegesis subjungitur ratione grammatica neglecta.

In locis quidem omnibus, quae hucusque produximus, omnis ratio grammatica servata est neque epexegeseos natura cognosci potest, quin pronominis vis, quae in vocula quod inhaeret, in eo inveniatur, quod subjecti vel objecti vice fungatur. At frequentissime quod initio enuntiatorum conjunctionibus subjunctivis cujusque fere generis vel alteri etiam relativo ita praeponitur, ut nullo e verbo pendeat planeque omni pronominis vi et, ut dicam, vita orbatum nihil aliud esse videatur, nisi adverbium quoddam, quod tantummodo connectendis sententiis vel transitui orationis inserviat. Qua in opinione aliquid veri inesse haud negaverimus, modo recte

cognoscatur, id quod nobis solum enodandum proposuimus, unde hic usus pervagatus fluxerit. Primitus enim hanc quoque formulam dicendi minime ab epexegetico pronominis relativi usu segregandam esse, ut credamus, gravissimis causis adducimur. Etenim accurate considerantem, quibus in locis quod pro adverbio positum videatur, memoriaque tenentem, quae supra de rationibus, quae plerumque inter epexegesin et superiora intercedant, disseruimus, effugere non poterit, plerumque ibi quoque in verbis voculam quod excipientibus ferme nihil inesse, nisi quod praegressa oratio jam aliquo modo complectatur. Repetamus aliquod exemplum supra allatum. In Cic. de sen. 23, 82 haec legimus: „quasi quum excessisset e vita, tum denique victurus esset. *Quod* quidem *ni* ita se haberet, ut animi immortales essent," — Cum hoc loco conferamus Cic. Tusc. IV, 16, 36: „haec eadem vocabula (sc. virtutum) ad frugalitatis nomen, tamquam ad caput, referre volumus. *Quod nisi* eo nomine virtutes continerentur, nunquam ita pervulgatum illud esset: hominem frugi omnia recte facere." In loco priore omnia plana sunt. Pronomen relativum vice subjecti fungitur, et quod ex antecedentibus in eodem inerat, id epexegesi leviter immutatum iteratur. In altero autem loco quod nullo e verbo pendet, sed pro adverbio collocatum videtur. At fortasse videtur tantum. Nonne enim, si ex altero loco illud „ita se haberet, ut" vel similem quandam circumscriptionem mente inserueris, quod idem ac

superius apparebit? Quis, quaeso, in verbis „*quod nisi* ita se haberet, ut eo nomine virtutes continerentur“ haereat atque infitietur, cogitatione „ut eo nomine — continerentur“ repeti ea, quae pronomen quod secundum antecedentia declaret. Nimirum enim dicendo, ad quod quid relatum est, ad sensum idem est, quam quo quid continetur. Quid, quod vicissim locum priorem pari prorsus modo sic decurtare possumus „quod ni animi immortales essent,“ — ? Immo cuncta paene exempla, quae sub III, A composuimus, salva sententia sic decurtari licet, ut quod pro adverbio usurpatum videatur. Ita Cic. de fin. III, 2: „*quod quum* accidisset, ut alter alterum necopinato videremus“, qui locus sine damno utique sententiae mutari potest in hunc modum „quod quum alter alterum — videremus.“ Cic. de off. II, 8, 29: *quod quum* perspicuum sit, benevolentiae vim esse magnam, metus imbecillam“, ubi sine ullo dubio auctor paullo brevius in hanc speciem scribere potuisset „quod quum benevolentiae vis sit magna, metus imbecilla.“

Num dubitabimus ergo, quin revera sic similiterve, modo ne de vera ellipsi cogitetur, locutiones, in quibus quod loco adverbii positum videatur, nos enodare necesse sit? Postquam igitur Cortius ad Sall. Cat. 18 et ad Cic. epp. ad fam. XII, 24 comprobavit, haud raro pronomina alius quoque generis pari modo quasi ex abundantia quadam praemitti, ut grammaticam eorum rationem enucle-

anti facile sese offerant verba facio, fio similiaque, veluti l. c. „*Illud* profecto, quoad potero, tuam famam atque dignitatem tuebor" — ubi plenius dicendi genus erat „illud profecto faciam, (nempe) ut tuam — tuear" seu mavis „tuam — tuebor"; postquam porro Madvigius (in opusc. academ. pg. 514) locos quosdam allegavit, ubi pronomen correlativum similiter expediendum est[18]): sane in isto quoque dicendi genere videtur concedendum, hanc esse ipsam causam pronominis quod pro particula ponendi, quod scriptor orationi pronomine relativo generaliter inchoatae statim subjiciat epexegesin, unde fiat, ut secundum grammaticam structuram quod non accurate cum reliquis cohaereat. Comparemus Cic. de N.D. (cfr. Schoemann. ad h.l.) II, 37, 93: „posse ex his in terram excussis annales Ennii — effici; *quod* nescio an ne in uno quidem versu possit tantum valere fortuna." Ubi pari ratione plenius dici poterat „*quod* nescio an ne in uno quidem versu *effici*[19]) possit, (nempe) ut tantum valeat fortuna."

Proinde haec quoque Latinorum proprietas,

---

18) Veluti Cic. de legg. I, 7, 23: „et *quod* in civitatibus agnationibus familiarum distinguuntur status, id in rerum natura tanto est magnificentius", ubi pro pleniore dictione, tantum circumscriptioni cuidam inserviente, „et *quod* in civitatibus fit (nempe), ut — distinguantur" Cicero, quum generaliter exorsus esset, statim speciale subjicit, ita ut generalis sententia non accuratissime cum reliquis cohaereat. Cfr. Orell. ad l. c.

19) Ut h. l., sic saepius nihil impedit, quominus verbum, quod adest, repetamus.

qua enuntiata arctius connectuntur, tantum est paullo brevius genus epexegeseos pronominis relativi. Quod ut aliquanto magis patescat, plura etiam addamus exempla hujus dictionis creberrimae.

Cic. Phil. X, 4, 9: „L e g i o n e s a b d u c i s a B r u t o quas? nempe eas, quas ille ab Antonii scelere avertit et ad rempublicam sua auctoritate traduxit. — *Quod qui* a b i l l o e x e r c i t u m a b d u c i t, cet." i. e. „*quod qui* facit, (nempe) a b i l l o e x e r c i t u m a b d u c i t." Nam utrum dicas, legiones abducere, an exercitum, quantum interest? Virg. Aen. X 631:

„Nunc manet insontem gravis exitus, aut ego veri
V a n a f e r o r. *Quod ut o* potius f o r m i d i n e f a l s a
L u d a r e t —."

i. e. *quod ut o* ita sit, (nempe) u t l u d a r f o r m i d i n e f a l s a. Nonne enim qui veri vanus fertur, aeque *fallitur*, atque qui formidine falsa luditur?[20]) Sall. Jug. XIV, 21: — „f i n g e r e m e

20) Nos quoque, licet rarius et animo plerumque commoto, simili utimur aposiopesi, ita ut hunc locum ad verbum sic reddere queamus: „O dass dies — durch falsche Furcht getäuscht ich würde!" Imprimis vero ibi etiam, ubi ex ante dictis aliquid concludere volumus, nostro sermone Latinum imitari possumus. Veluti nobis loqui licet: „Kleine und erbärmliche Seelen urtheilen über Verirrungen Anderer hämisch und masslos; ein edler Mann richtet strenge nie, wo er nicht Alles weiss, stützt den beim ersten Schritt zum Bessern Wankenden. *Wenn dies* — d i e e i g e n e S c h w ä c h e u n d d i e e i g e n e G r ö s s e s i c h i n d e i n e m U r t h e i l ü b e r A n d e r e s p i e g e l t, s o —." Hinc quoque perspicies, qua ratione q u o d propemodum vim particulae conclusivae recipere potuerit.

verba et fugam simulare, cui licuerit in regno manere. *Quod utinam*, cujus impio facinore in has miserias projectus sum, eadem haec simulantem videam." i. e. *quod utinam* fiat, (vel ita sit vel similiter) (nempe) ut eadem — videam. Nam hoc loco, ut saepius, non tam judicio, quam oculis opus est ad cognoscendum, quomodo verbis quod subsequentibus antegressa repetantur. Cic. N. D. II, 34, 87: „— cujus (sc. mundi) quidem administratio nihil habet in se, quod reprehendi possit: ex iis enim naturis, quae erant, quod effici optimum potuit, effectum est. Doceat ergo aliquis potuisse melius. Sed nemo unquam docebit, et, si quis corrigere aliquid volet, aut deterius faciet aut id, quod fieri non potuerit, desiderabit. *Quod si* omnes mundi partes ita constitutae sunt, ut neque ad usum meliores potuerint esse neque ad speciem pulchriores, videamus, cet." ubi sententia superior, hunc mundum esse optimum, ita amplificatur, ut auctor dicat, optimum tam utilitate quam pulchritudine. Hor.[21]) Epp. II, 1, 90: —

„Indignor quidquam reprehendi, non quia crasse
Compositum illepidumve putetur, sed quia nuper;

---

21) Errat Reisigius in eo quoque, quod (doctr. ling. Lat. §. 212) docet, quod si apud Horatium semel tantum inveniri. Reperitur Od. I, 1, 35. I, 24, 13. III, 1, 41.

Epod. XI, 15.

Sat. II, 4, 6.

Epp. I, 1, 70. I, 2, 70. I, 3, 25. I, 7, 10. I, 7, 25. I, 9, 11. I, 19, 17. I, 20, 9. II, 1, 90. II, 1, 241.

Ingeniis non ille favet plauditque sepultis,
Nostra sed impugnat, nos nostraque lividus odit.
Quod si tam Graecis novitas invisa fuisset
Quam nobis, quid nunc esset vetus? cet."

inde enim a versu quinto poeta id solum pertractavit, quod nunc tamquam summam variarum verum antecedentium pronomini quod accuratissime subjungit, nempe Romanis novitatem invisam esse. Simul autem (id quod eam ob causam bene attendendum, quia eo satis docemur, qua ratione quod cum conjunctionibus subjunctivis copulatum transitum ad novam sententiam paret) auctor illam summam rerum praemissarum vocibus tam Grajis interpositis ita convertit, ut quae sequuntur apte adjuncta sint. Idem, ut in multis locis aliis, invenimus etiam in Cic. Tusc. I, 15, 53 (respice antecedentia): „*Quod si* omnium consensus naturae vox est, cet." — ubi similiter pronomini quod summa praemissae orationis epexegetice illico subjungitur.

Origine igitur hujus quoque locutionis comprobata, pluribus exemplis, quo frequentiora sunt, eo magis supersedere possumus, praesertim quum fere singillatim tantum, quae supra de variis eorum, quae praemissa sunt, immutationibus in epexegesi generatim disputavimus, repetere possemus.

Verum enim vero quam recta sit sententia, etiam in istius generis locis primitus certe quod revera esse pronomen relativum, maxime inde patet, quia pro quod secundum assimilationem quan-

dam notissimam etiam aliae formae pronominis relativi itidem inveniuntur, veluti Cic. de legg. I, 16: „jus, —, jus testamenta falsa supponere, si haec suffragiis aut scitis multitudinis probarentur. *Quae si* tanta potestas est stultorum sententiis atque jussis, ut eorum suffragiis rerum natura vertatur, cet.“ ubi pari prorsus ratione pronomen relativum ad ante dicta spectat atque haec paullo explicatius epexegesi „potestas — tanta est, ut — vertatur“ iterantur, pro quae autem rectissime etiam quod poni poterat.

Natura autem alicujus formulae dicendi cognita nulla utique difficultas in eo restare potest, quod usus, id quod saepissime accidit, longius progressus est. Sic in hoc quoque genere dicendi quod prorsus pronominis vim ac potestatem amisisse videtur, ut primarium pronomen relativum vix recognosci possit.

VITA.

Carolus Joannes Albertus Saegert, fidei addictus evangelicae, natus sum Gryphiswaldiae ante diem XIV Calendas Septembres anni MDCCCXXXI patre Joanne Henrico, nauarcho, matre Joanna e gente Mann. Patrem mare in terras longinquas navigantem mihi quinque annos nato eripuit; matre optima et dilectissima adhuc viva gaudeo. Annum agens decimum gymnasio Gryphiswaldensi in disciplinam sum traditus, ibique novem commoratus annos auctumno anni MDCCCL maturitatis academicae testimonio instructus sum. Tum jurisprudentiae operam daturum in album civium academicorum Ill. Beseler, rector magnificus, me inscripsit. Sed jam primo studiorum anno simul officio meo militari functus jactura rei familiaris, quam mater fecit, gravi coactus sum, proposito meo mutato ad litteras philologicas animum applicare. Itaque unum per semestre scholis vv. Ill. Stiedenrothii, Matthiesii, Haserti, Schoemanni interfui. Tum Monacum profectus sum, ubi vv. Cl. Neumannum, Prantlium, de Lasaulx, Spengelium, Thierschium disserentes audivi. Gryphiam reversus atque iterum civis factus academicus scholis interfui vv. Ill. Gassii, Hoeferi, Haserti, Bartholdi, Kosegartenii, Schmitzii, Urlichsii, imprimis vero Schoemanni, a quo eodem in seminarium philologicum receptus sum.

Quibus viris omnibus hac occasione oblata gratias ago quam maximas.

Triennio autem academico vere anni MDCCCLIV absoluto, rei familiaris angustiis, quibus mater premebatur, adductus sum, ut in urbe vicina, Tanglimo, domui cuidam praeesse non recusarem, in qua me duce complurimum hominum divitum filii educarentur et erudirentur. Tribus autem annis exactis hoc negotium fugiens Berolinum me contuli, ubi in schola quadam privata complures disciplinas docebam, donec hereditate matri aliquid obvenit, ut tunc demum litteris philologicis totum me dedere possem. Sed jam eo progressus, ut examen philosophicum subire vellem, morbo gravi correptus sum, qui me per tres menses lecto affigebat. Hac calamitate nondum prorsus defunctus vehementissime oculis laborare coepi, quod me per aliquantum temporis a studiis prohibebat. Tandem sanitate tali recuperata, ut mihi per medicum liceret, mè paullatim ad studia referre, rebus impulsus domesticis Gryphiswaldiam reverti, ubi nunc examine superato spero, me summos in philosophia honores rite adepturum esse.

THESES.

I.

Morum cultura pluris putanda est quam litterarum.

II.

Praecipua philologi virtus cernitur in arte critica factitanda.

III.

Pericles si gloriae Atheniensium immortaliter prospexit, potestatem tamen exercuit civitati parum salubrem.

IV.

L. A. Seneca morum Alexandri Magni judex iniquissimus.

V.

Hor. Od. II, 5, 10 sqq. fac mecum sic corrigas: jam tibi lividos distinguet auctumnus racemos purpureo variis colore.

VI.

Verba Soph. Philoctet. 428. sqq. τί δῆτα δεῖ σκοπεῖν, ὅϑ' οἵδε μὲν τεϑνᾶσ', Ὀδυσσεὺς δ' ἔστιν αὖ κἀνταῦϑ' ἵνα χρῆν ἀντὶ τούτων αὐτὸν αὐδᾶσϑαι νεκρόν; *non censeo emendanda, sed recte interpretanda.*